DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
RHOE TOXICODENDRO
ET
RADICANTE.

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

DOCTORIS MEDICINAE HONORES

LEGITIME CAPESSITURUS

DIE XV. MAJI A. MDCCCXI.

HORIS ANTEMERID.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRIST. FRIDER. HENR. BUSSE.

BEROLINENSIS.

BEROLINI.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

PERILLUSTRI MAXIME SPECTABILI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. CHR. GUIL. HUFELAND,

FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS DECANO, MEDICINAE P. P. O. INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO STATUS ARCHIATRO, ORDINIS AEQUILAE RUBRAE EQUITI NOSODOCHII CHARITATIS MEDICO PRIMARIO ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS SOCIETATIS MEDICAE PARIS. PORROPOLIT. MOSCOV. VENET. BRUXELL. HELVETIC. ALIARUMQUE SODALI

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

PATRONO INDULGENTISSIMO

FAUTORI BENIGNISSIMO

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PRO VERA

AC

HIPPOCRATICA

SCIENTIA ET ARTE IN SE COLLATA

PRO TOT TANTISQUE BENEFICIIS

GRATI ANIMI TESSERAM

D. D. D.

DISCIPULUS DEDITISSIMUS

CHRIST. FRID. HENR. BUSSE.

SECTIO PRIMA.

De Rhois qualitatibus et virtutibus generatim.

§. 1.

Inter varias *Rhois* species, quae in America septemtrionali occurrunt, *Rhoi Toxicodendro* praeprimis et *radicanti* vires in Medicina tribuuntur. Inter Medicos atque Botanicos adhuc perquam disputatur: utrum hae plantae sint *species diversae* an *pro varietatibus* tantum habendae; utrique autem opinioni celeberrimi viri accedunt. Nobis minime licet huic liti judices nos opponere, sufficiat itaque disputationem horum virorum, quantum fieri potest brevius, enarrare.

Inter alios, qui *species* duas esse censent celeb. WILDENOWIUM commemorare juvat qui sic peculiaria et characteristica signa *Rhois radicantis* descri-

bit:[1]) *foliis ternatis, foliolis petiolatis erectis nudis integerrimis, caule radicante* (Linn. hort. Cliff.) *Rhus Toxicodendron* autem *foliolis angulatis pubescentibus* ab eo differat.

His signis varii scriptores haec adjiciunt: *Rhoa radic.* radicem rigidiorem, truncum longe ascendentem, caulem longiorem, foliolaque majora habere; de *Rhoe Toxic.* autem contendunt eum nunquam repere nec radicare. Ab hac adumbratione vero, *Wildenowius* eo recedit, quod utrique Rhois speciei surculos late radicantes adscribat.

Alderson harum *specierum* differentiam in eo positam censet, quod folia *Toxicodendri* apice superne retusa et excavata, *radicantis* vero folia inferne recurvata convexaque appareant [2]).

Willemet qui per viginti quinque annos utrumque *Rhoa* in horto suo colebat, semper peculiaria haec signa invenit: *Rhois* nempe *radicantis* truncum lignosum, radicantem, et repentem; *Toxicodendri* autem, truncum fruticosum provenire, folia et flores ferme eadem esse in ambobus atque similem effectum in corpus humanum ostendere [3]).

---

1) Linnaei species plantarum curante Wildenow Berol. 1797.

2) Versuch über das Rhus. Tox. von John Alderson, aus dem Englischen von L. F. Froriep. Jena 1799. pag. 29. Anmerk.

3) Journal de Physique Brumaire an 9.

Van Mons et *Bosc* cum *Tournefortio* hasce differentias neutiquam specificas esse judicant, et *Rhoa radicantem* et *Toxic. ejusdem speciei varietates* esse, ex diversitate soli exortas, contendunt. Id praecipue BOSC, cui hasce plantas in ipso loco natali disquirendi et observandi occasio fuit, his verbis affirmat [4]. Licet tantum per breve temporis spatium *Rhoa radicantem* in Carolina observamus, ut persuasum habeamus, unam esse candemque plantam cum *Toxicodendro*, atque non nisi per varia accidentia ab eo alienam et *Tournefortium* minime errasse, quum utrumque varietates tantum exhibere diceret. Tener enim adhuc, supra terram repit et semper folia dentata seu angulata habet atque pubescentia, nunc igitur *Rhoa Toxic.* praebet, si vero ramuli *ejusmodi Rhois* arborem qualemcunque attigerint, eam fibrillis suis amplectuntur, truncum gradatim ascendunt et tunc *Rhoa radicantem* exhibet.

Omnia haec minime nobis sufficere videntur ad hanc alteramve horum auctorum sententiam refutan-

---

4) *Bosc*, societatis naturae scrutatorum Parisiensis Praeses et in Carolina per longum temporis spatium consul fuit. Ejus descriptionem *Rhois radic.* legimus in: *Mémoire sur le Rhus radic. de F. B. van Mons* (vide Actes de la société de Médecine, Chirurgie, etc. etablie à Bruxelles seconde partie d. Tome 1.) gemanice: *Erfahrungen* über die heilsame Wirkung des wurzelnden Sumach von Dufresnoy, nebst einer Abhandlung über den wurzelnden Sumach von J. B. van Mons, aus dem Franz. von Nasse Bielefeld 1801.

dam vel confirmandam; jure enim sperandum, fore ut, diligentissima Botanicorum disquisitione haec diatribe clarior reddítura sit. Tametsi notabiles quaedam in his plantis differentiae occurrant, illorum assentiremus opinioni, qui *Rhoa radicant.* et *Toxic. varietates* esse ejusdem plantae contendunt; propterea quod insignem utriusque Rhois proclivitatem ad varietates generandas clare videmus, cujus rei fidius testis ill. *Bosc* qui solus existit, cui contigit hanc stirpem in ipso loco natali sub variis soli coelique mutationibus observare. Namque licet in nostris hortis botanicis differentias nonnullas specificas mentiatur *Rhus*, experimenta tamen instituenda essent in America ipsa, anne seminibus hae varietates propagari possent atque immutabiles permanerent et, quod caput rei est, quantum proprietates humi in quo planta coleretur ad istas varietates procreandas valerent.

§. 2.

Rhus radicans et *Toxicod. Linnaei*, variis gaudet nominibus varieque describitur; sic apud *Miller Toxicodendron vulgare* et *Tox. pubescens* audit. *Tournefort* habet Toxicod. triphyllon glabrum; *Ray*, Rhoa nostrum arborem trifoliatam venenatam virginianam folio hirsuto appellat etc. Germanice *Giftsumach*, *wurzelnder Sumach*, *Gifteiche*, *haarichter Giftbaum*, dicitur, Americanis *Poison-oak Small-leav'd*, *Poison-Sumach*, Gallis *herbe à la puce.*

Adumbrationem uberrimam hujusce plantae hic conscribere, superfluum esse videtur, attamen pauca quaedam historiam naturalem Rhois spectantia addamus.

Planta est non perennis Americae septemtrionalis in Canada, Carolina et Virginia regionibus humidis in sylvis et ad ripas fluminum crescens; in Gallia et Belgia valde frequens est et in nostris quoque hortis laeta vivit, hiemisque rigorem impune fert. Ramorum erectorum fines radiculas projiciunt, quae arboribus vicinis insitiuntur et sic arbusculum sustinent, cujus vegetatio adhuc perdurat, cum rami jam a trunco et radice a quibus proveniunt separati sint. Ramuli radicantes nunquam flores ferunt et radiculas ipsas in terram quoque projici posse, ex observationibus constare videtur. Secundum *Bosc* ad altitudinem excelsiorum arborum pervenit. Folia ejus versus finem mensis Martii evolvuntur, flores exeunte Aprili aperiuntur in Majo denique jam semen maturescit. Flores et folia nullum odorem spargunt. E trunco caulibus foliisque, praesertim tempore florescentiae, succus destillat lacteus gummosus, qui chartam et lintea colore nigro indelebili tingit et tempore quo fructus maturescit fere nullus colligitur.

Veteribus aliae *Rhois* species non incognitae fuere et illis variae in Medicina virtutes tribuebantur:

Hippocrates habet 5) Ῥȣν ἐρυθρὴν (Rhus coriaria)

---

5) Vide *Sprengel* Rei herbariae Historia. Amstel. 1808. T. 1.

Theophrastus Eresius [6]) eandem plantae speciem egregie describit et usum ejus ad rem coriariam. *Dioscorides Pedanius* plantam Ρȣγ βυϱσοδεψικην appellat [7]). *Plinius* de eadem *Rhois* specie et alia quadam, quam *Rhus erythros* denominat earumque usu in Medicina his verbis loquitur: „Medici Rhoicis „utuntur ad contusa item coeliacos et sedis hulcera „aut quae phagedaenas vocant trita cum melle et il„lita cum aceto — — *Rhus* qui *erythros* appellatur „semen est hujus fructus. Vim habet adstringendi „et refrigerandi; foeminarum abundantiam sistit „cibo" [8]).

Rhois Toxicodendri descriptionem primus dedit *Cornutus* [9]); *Dillenius* autem [10]) primus fuit qui *Rhoa* radicantem descripserit. Ceterum medici antiquiores circa hujus plantae virtutes et qualitates, maxima incertitudine premi videntur. *Dudley* enim refert [11]) Rhois lignum, glaciei instar, gelidum esse ejusque exhalationes simili frigoris sensu percipi, quod *Moore*, in epistola ad *Sherardum*, confirmat [12]).

---

6) Πεϱι φυτου ἱστοϱιας 3. 18. Sprengel l. c. p. 86.

7) In opere πεϱι ὑλὴς ἰατϱικὴς *Sprengel* l. c. p. 151.

8) *Historia natural.* Lib. XXIV, 54. 55.

9) In: *Plantarum Canadensium historia.* Paris. 1635. 4to.

10) In opere doctissimo splendidissimo: *Hortus Elthamensis.* Lond. 1732.

11) Philosoph. Transact. Vol. 31.

12) ibid. ann. 1720. p. 147.

Mazeas experimenta ea quae *Sauvage* primus instituit lintea nempe colore nigro perenni, succo *Rhois* tingi, repetit; ceterum plantae signa characteristica plane ignorare videtur [13]). Sic et *Ellis* et *Miller* qui plantae succos foete olere ajunt. Secundum *Bosc* Americani nullum *Rhois* usum faciunt ejusque in Medicina virtutes ignorant, quod *van Mons* veneficae hujus plantae indoli imputandum esse censet.

§. 3.

Circa *chymicam Rhois cognitionem*, *van Mons* et *Achard* pericula instituerunt. Praecipua pars constituens hujus plantae secundum *van Mons* [14]) Hydrogenium carbonicum est, quod prae ceteris trunco et foliis continetur. Praeterea in illa principium adstringens, acidum gallicum et paululum gummi et amyli viridis reperiuntur. Omnis resina abest. *Bosc* interdum, succum, gumoso resinosum esse eredit. —

Achard [15]) ex foliorum unciis duabus cum dimidia, extracti gummosi drachmas quatuor et scrupulum et extracti resinosi drachmas tres et grana de-

---

13) Philosoph. Transact. Vol. 49.

14) Diss. cit. Uebers. v. Nasse p. 214.

15) Récit des experiences faites sur le Rh. Tox. dans la vue de connoître les parties composantes et de déterminer l'action de son poison sur les différens animaux. Vide nouveaux mémoires de l'Acad. de Berlin et *von Crells* chemische Annalen 1787. p. 387 et 494.

cem detraxit. Reliquum, gummi praevalere in foliis, resinam in radice, experimentis ipsius constat.

Attamen, unde is, experimentorum horum Chemicorum, varius census venerit, certo definiri nequit; id tamen non est dubium, quin in eo causa non lateat quod diversas species chemicis disquisitionibus subjecerint, quippe specifica haec plantarum differentia hercle haud tanti est, quanti aestimari videretur.

Succus qui ex foliis Rhois exprimitur viridis est et odorem, brassicae oleraceae viridi persimilem spargit, ceterum nec alcali nec acidum ostendit. Basis illius materiae nigrae, quae in eodem succo reperitur, hydrogenium carbonatum aqua solubile esse videtur (*van Mons*) quodque, quando processus chemici auxilio, oxygenio nubitur, colore nigro praecipitatur; sic folia contusa nigrescunt. Id quoque in gase oxygenio et muriatico oxygenato citius fit, simul cum utriusque aëris absorbtione. Oxygenium nempe cum hydrogenio sese conjungit et carbonii fit praecipitatio, (materia nigra) quae tum indissolubilis evadit. —

Aëris athmospherici decompositio quae ad processus vitales cujusvis plantae requiritur, quod jam *Ingenhouſs* observavit, praecipue in *Rhoe* manifestatur; loco enim obscuro et a radiis solis remoto haec planta gas exhalat, quod secundum *van Mons* gas hydrogenium carbonicum est; etenim oxygenio mixtum atque electrico scintillo incensum aquam gignit quae gas carbonicum continet. E contrario gas, acceden-

tibus radiis solis exhalatum, purum ferme est gas oxygenium. — Contra haec experimenta ill. *Achard* profert observationem, lucis flammam extingui in campana ubi *Rhus* vegetabat, quod secundum *van Mons* non evenire deberet; forte tamen cum *cel. Nasse* supponere liceret, aërem in ista campana, ipsa vegetatione depravatum fuisse [16]).

§. 4.

Rhois, in *corpus humanum effectus*, ubi indagamus, permulta ocurrunt exempla apud autores, quae morbiferum et venenosum ejus effectum demonstrant et has venenosas qualitates jam recentiori tempore cognitas fuisse videtur. Americani *Rhoa poison-oak* nominant et contactum ejus timent teste *ill. Bosc.*

Exhalationes hujus plantae notabiles effectus producunt, et uti acria remedia, eo majori gradu cutem affligunt, quo magis sensibilis est. Hi effectus praecipue percipiuntur, quando plantae, in umbra crescentes vel debiles morbosaeque, atque pluviosa tempestate aliquem afficiunt. Hae exhalationes, quibus omnem vim venenosam inesse censet *van Mons*, variabili modo agunt, pro constitutione varia cutis ac ejusdem propensitate ad exanthemata. Talis nempe

---

16) Vid. *van Mons* Abhandl. Uebers. v. *Nasse*. p. 202. Anmerk.

hujusmodi *Rhois*, indoles nocifera manifestatur, ut nonnulli homines ne praeterire quidem arborem possint incolumes, alii e contra omnino non ab istis exhalationibus affici videantur uti ipsi *van Mons* contingit. — In nonnullis exanthema, in aliis capitis tumor inde sequitur. —

Bosc ait: se nunquam hujus arboris, ubi in sylvis occurrit venenosas vires pereepisse, succum vero vesicatorii instar pruritum, tumorem et epidermidis dissolutionem efficere fatetur. — Ex *Dudleyi* observatione constat, aliis capitis tumorem, aliis ardentem pruritum movere. Gmelin [17]) refert, (observante *Kalm*) [18]) exhalationes *Rhois*, vento adflante, facillime tumorem dolorificum vultus, manuum, totiuscorporis ciere, simulque vesiculas valde frequentes quae in desquamationem epidermidis abeunt, inde nasci. Nonnunquam palpebrae tali modo intumescunt, ut aperiri haud possint [19]).

Eadem phaenomena oriuntur, quando lignum Rhois accenditur. *Sherardus* enim narrat, inter quinque homines ad talem ignem sedentes semper aliquos fuisse, qui animi deliquio corriperentur, alios oscitasse, alios autem omnino incolumes evasisse.

---

17) Allgemeine Geschichte der Pflanzengifte, von J. F. Gmelin, 1777. p. 177.

18) Reise nach dem nördlichen America, a. d. Schwed. T. II. variis locis.

19) *Kalm*, l. c. II. p. 229.

Gleditsch[20]) casum enarrat, homines aliquot in horto *Rhoa Toxicod.* colentes, omni quoque anno eresypelate pustuloso laborasse quod malum, non nisi remotis his plantis, superavere. Hortulanum vidit horti botanici Berolinensis *Rhoa Toxic.* serentem, quum sudorem ipsa manu abstergeret vultumque tangeret, morbo inde correptum qui vitae periculum attulit et non nisi inclyti medici *Pallasii* opere sanatus fuit. — De simili exemplo quod tamen narratione tantum cognovit loquitur *Hensinger*[21]; hortulanus nimirum Wittenbergensis qui *Rhoa* exstirpaverat inde in gravissimum morbum incidit.

Fontana[22]) se coactum fuisse, queritur, experimenta circa *Toxic.* instituta derelinquere quia ter, repita vice foliis infectus fuit, simulque addit celeberrimos scriptores hanc plantam potentissimum venenum judicasse, etsi secundum physicorum recentiorum pericula, in animalia omni effectu carere videatur.

Isaac Weld[23]) narrat, incolas regionis prope Niagaram fluvium in America, folia sicca Toxicoden-

---

20) Beschäftigungen der Gesellschaft naturforschender Freunde zu Berlin. T. 4.

21) *Diss. inaug.* observata quaedam sistens circa Rhoa Tox. et *rad.* Helmstadii 1809. p. 27.

22) Ueber das Viperngift und einige Pflanzengifte. Berl. 1787. p. 338.

23) Reisen durch die vereinigten Staaten von Nordamerika, Berlin 1800. Tom. II. p. 300.

dri veluti herbam Nicotianam fumigare quod tamen pulmonibus infestum esse judicatur. Flores Toxicodendri, potioni quam vernaculo sermone *Punsch* vocamus immersi, illi saporem acidulum pergratum impertiunt, quod revera nociferum censetur, quippe venenum isto acido immixtum, magnas viscerum perturbationes excitat.

Krüger [24]) a contactu hujus plantae, tempestate pluviosa, motibus febrilibus et tumore tenso afflictus fuit cum impetigine et faucium siccitate. — *Hunold* in America observavit plantam nonnunquam affectiones anginosas ciere.

Van Mons exhalationes plantarum radiis solis expositarum insontes omnino invenit, noxias autem cum planta in umbra staret. — Inde concludit: basin aëris perspirabilis quae venenum continet solis luce retineri et in planta remanere, succoque aëriformi non perfecte elaborato constare. Hanc opinionem praecipue experimentum quod *van Mons* instituit, conprobare videtur; gas scilicet admisso solis luce in campana vitrea receptum, nullum noxium effectum exeruit, obscuro autem loco experimento subjectum, manum immersum ardenti dolore et inflammatione erysipelatodi afflixit.

In

---

24) Vide: *Burdach*, Handbuch der neuesten Entdeckungen in der Heilmittellehre. Leipzig 1806. p. 303.

In his tamen summa varietas intercedit, nonnulli enim qui in aprico folia Toxicodendri collegerant, eadem symptomata passi sunt. Id inprimis testatur *Gleditsch*, qui tempore aestivo et vivida plantae vegetatione, venenosam ejus virtutem exquisitiorem esse contendit.

§. 5.

Succi plantae applicatio, solito more, maculas efficit fuscas, nigrasve ac epidermidem densam, corio persimilem reddit. — *Willemet* has maculas illis haud absimiles apparere ait quae causticis aut combustione exoriuntur.

Cutis dum foliis fricatur, exanthemate affligitur quod longiorem moram facit, quam aliis applicationibus observatur, quodque, e loco affecto ulterius propagari posse videtur. — Ipsi mihi hoc exanthema observare non licuit, attamen accuratam descriptionem desiderantibus, ea quae apud *Heusingerum* occurrunt, transcribimus [25]).

„Brachium lateris sinistri foliis recentibus Rhois perfricui; paulo post loci contacti subrubescebant.

Die secundo parvae eminentiae, quae et in statu sano cutis hominum plurimorum, quandocunque rigori illa exposita fuerit, distinctius prodeunt, unde

25) Dissert. citata. p. 23. 25.

et cutis anserina vocatur, paulo altiores et colore subrubro tinctae apparebant. Ad vesperam ejusdem diei, pruritus major.

Tertio post infectionem *die* papulas satis amplas, magnitudinem illarum, quae ab urticis nascuntur, aequantes, invicem ardentes et prurientes, observavi. Exanthema omne ab anteriore brachio usque ad humerum spatium occupabat atque, morbillorum instar, minii colore insigne erat. Ubi crebrius eruperat, ibi papulae confluebant solidumque tumorem exhibebant, ubi autem rarius prodierat, ibi plane patebat, cutis eminentias illas, quas supra memoravimus, affectas esse. In ejusdem quoque lateris crure, locum prurientem similesque papulas inveniebam.

Quarto die, brachium valde intumuerat, ita ut lacuna quae est in articulo cubiti, disparuerit, papulae ubique confluebant continuumque tumorem constituebant. Ubi vero post frictiones scaberam ibi nunc magnus numerus pustularum parvarum, tangentis digitum velut milii grana moventium, pellucidaque lympha repletarum, apparebat. Brachium ardebat, modo intolerabili pruriebat et tantopere tumebat, ut cubitus, non sine summa difficultate et dolore, flecteretur. In crure, exanthema suo loco perstabat.

Quinto die, tumor toto in brachio aequalis erat sine particularibus eminentiis; colore obscure rubro. Calor magnus, motus summopere impeditus. Pustu-

ae locum infectum non transgredientes *scabiei* vel et *miliaribus* simillimae erant.

Sexto die, malum *erysipelas* plane simulabat. Dolores in fovea axillari. Bona ceterum salute gaudebam, tantum pruritu somnum fugante.

Usque ad *octavum diem*, tumor, ruborque increscebant. Pruritus atque ardor tales erant, ut nulla velamenta paterentur, tactusque subtilissimus ad scalpendum cogeret. Contra haec mali incommoda, oleum amygdalarum illinere coepi, cutem asperam tensamque relaxaturus; hoc autem remedio parum efficiente postea camphora, in oleo hyosciami infuso, soluta, usus sum, quo applicato post XII horarum, spatium tumor evidenter collabi ceperat. Attamen exanthema ipsum e finibus latius sese propagavit et nunc, vesicularum pellucidarum multae series, se invicem pervagantes, conspiciebantur, quae vanam in cutem promi-nebant, pruritu notabiles atque sub microscopio formam rotundam habentes. Diebus insequentibus magis magisque oedema deficiebat, inflammatio pruritusque cessabant, et cum per octo dies exanthema vesiculosum stetisset, hinc vel inde tantum pustula, oedema atque rubor cutis animadverti potuerat. Cum autem sparsae vesiculae istae, in dies tumoris fines versus, immo ultra eos migrarent, ulteriores progressus mercuriali unguento stiti. Tandem epidermidis desquamatio, ut ex parvo herpete, consecuta est."

Nonnunquam tamen rem omnino aliter sese ha-

bere, aliorum exempla nos docent. Nam sicuti exhalationes hujus plantae, nonnunquam nullum venenosum effectum producunt, ita apud nonnullos homines, cutis omnino non ab istis foliorum perfricationibus, affligitur; sic in aliis quoque exanthema, efformat, a data descriptione longe differrens. *Van Mons* nempe ait [26]): eos qui folia carpunt aut frondem *Rhois* quassant, pustulis in manibus et brachiis postea etiam in cruribus, pectore, ac ipso in vultu, scabiei similibus et per quatuor ad sex septimanas morantibus, vexari. Pluries etiam, *Heusingero* affirmante, haec impetigo adspectum scabiei humidae exhibet [27]) *Dufresnoy* e contrario observavit: [28]) jam XXIV horas post perfricationem, pruritum adesse in metacarpo et manibus, secundo die intumescentiam partium et pustulas prodire, tertio ad octavum omnia symptomata increscere, tumorem capitis et palpebrarum oriri, pruritum universalem, maxime in partibus pilis instructis excitari, decimo denique, die, omnium symptomatum decrementum sequi.

Gleditsch de impetigine his verbis: Ii, qui sese *Rhois* exhalationibus exponunt, morbo corripiuntur, qui pruritu, dolore, pustulis, erysipelate et intumescentia partium sese manifestatur.

---

26) l. c. p. 206,
27) d c. p. 27.
28) l. c. p. 4, 5.

Wichmannus [29]) casum enarrat hominis impetiine vexati, postquam plantam exstirpaverat Rhois; praeputio nempe, scroto et palpebris, pustulae a *hois* contractu natae sunt, fuscae discretae sensim inppurationem abeuntes. Hoc exanthema, cum nullo iio melius comparari posse ait, (quoad scilicet, vehenentem ardentemque dolorem, pruritum, lentamque ssiccationem et insomnia inde nascentia) quam cum o morbo, quem *cingulum* seu *zonam* dicimus, a quo men, eo maxime differre, quod zona, unum tantum rporis latus occupet, totumque corpus nunquam nbeat, comitemque febrem habeat, dum e contrao hoc exanthema plures corporis partes corripiat et nte ulterius progrediatur. —

Ex his modo dictis latissime patet, in his morbi mptomatibus, quam maximam varietatem intercere, ac impetiginis naturam, dispositionem quandam atis petere peculiarem; sunt enim, qui, etsi saepissie infectioni sese exponerent et sat tenera cute praeti essent, nunquam a *Rhoe* male afficiuntur. — *Heuiger* [30]) hanc impetiginem, erysipelati oedematodi rsimilem esse, censet, eumque *Erythema herpeticum* pellari posse, censet et, me judice, quantum ex deriptione exanthematis elucet, non immerito. — npetiginis eruptionem, secundo vel octavo post infe-

29) Ideen zur Diagnostik. I. p. 74.

30) D. c. p. 26.

ctionem die, de secundum alios, nono aut XIV, fieri credunt. Pruritus, symptoma summe constans habetur. Febrem exanthema concomitari (cui *Wichmannus* non assentitur), aliorum experientia docuit. Sed nondum evictum est febrem hanc, per accidens tantum cum morbo locali conjunctam esse, an nexu quodam causali cohaerere. Morbum praeterea, non solum topicum habendum, verum etiam, ubi sibi ipsi relictum sit, omnes corporis partes invadere posse, *Heusingeri* experimentis constat.

Ex his, quae super venenosam *Rhois* indolem, aliorum autoritatem secuti, fusius exposuimus, sole clarius redditur, foliorum contactum eorumque exhalationem, incommoda multa et graviora quidem producere, nunquam tamen ex his, lethalem exitum timendum esse.

De *Rhois effectibus ex usu interno*, infra docebimus.

Contra symptomata, a Rhois applicatione externa orta, acida vegetabilia interne sumenda vel externe adhibenda, veluti remedium efficacissimum commendantur a *Krügero* et *Hunoldo*, [31]) acida vegetabilia praesertim acetum vini et Rubi Idaei. Aliam curationem proponit *van Mons*, eandem nempe, uti in erysipelate phlegmonode pustuloso. Experientia *Dudleyi*, aqua plantaginis vel mixtura ex oleo cum cre

---

31) Vide *Bundach*, l. c. p 306.

nore lactis, non sine emolumento quodam adhibitur; este denique *Bosc* aqua frigida simplex non inutilis commendatur.

§. 6.

Experimentis, in animalia institutis, verisimile vi- detur, *Rhois* vim toxicam, nulla applicatione illis no- cere. *Achard* [32]) plures narrat observationes quibus id conprobatur. Aves, in campana, ubi Rhus vegetabat, inclusi, sine ullo visibili incommodo, vitam degere vi- debantur. Cuniculo idem contigit. — Avi, in super- ficiem quandam pennis destitutam, et excoriatam suc- cum recentem instillabat, neque inflammationem qui- dem inde nasci videbat. Idem avis succum merum absque incommodo devorabat. — Vulneri in dorso canis cujusdam, succi *Rhois* circiter drachmam unam infricavit, neque ullum aliud symptoma visum est, quam pruritus intolerabilis ac vulneris ulceratio foeta, quae tamen omnia, septimo jam die, plane evanesce- bant. — Injecti succi in venam cruralem canis, sicuti etiam interna ejusdem applicatio, nullum omnino dam- num protulerunt; item extractum gummosum et re- sinosum innoxia sese manifestavere. —

Autore *Bosc*, equi, in America, folia *Rhois* liben- ter et sine ullo noxio effectu comedunt. Liceat tamen, observationem quandam adducere, vim *Rhois* nocife-

32) Vide: von Crells chemische Annalen, 1787. p. 497 ff.

ram in bestias probantem; *van Mons* nimirum, exemplum memorat canis cujusdam prope *Toxicotendron* morantis, scabie totiusque corporis tumore turbati; attamen adhuc dubium est, anne jam antea hoc malo laborasset canis.

§. 7.

Nunc, quae ad *cognitionem pharmaceuticam Rhois* pertinent, exponamus: Folia *Rhois* colliguntur tempore florescentiae ac sole quidem lucente; carpentes manus oleo illinunt aut manicis induunt, quo quaelibet infectio vitaretur.

Parata ex his numerantur.

1. *Extractum. Dufresnoy* extracti ex foliorum libris quadraginta, uncias paravit viginti. *Van Mons*, huic parandae formulae adnuens, plurimas extracti species habet, quas paucis verbis attingamus.

a) *Extractum ex foliis recentibus*: folia, ex aqua, repetita vice, coquuntur, dein decoctio ad justam cohaerentiam inspissatur.

b) *Extractum ex foliis oxydatis*, s. *ex succo praecipitato*. Succus et folia contusa, in aprico exponuntur, usque dum utrumque nigrum appareat, tum aqua teruntur, fluidum inde decanthatur et ad consistentiam extracti inspissatur.

c) *Extr. succi expressi* ex aqua cocti et inspissati.

d) *Extr. ex foliis siccis*, simili modo paratur, folia tamen caute siccanda sunt.

e) *Extr. sine igne paratum.* Folia recentia aqua teruntur et macerantur, tum ad consistentiam mellaginis inspissatur fluidum.

2. *Aqua destillata Rhois.*

3. *Tinctura spirituosa Rhois Toxicodendri* HU-'ELANDII. Ad normam Tincturae aconiti Ph. boruss. :arata ex foliorum recentium uncia una ad spriritus ini uncias sex.

Restat ut compositum quoddam addamus Dufres-ıoyo inventore:

4. *Oleum Rhois* ex stipitum *Rhois* partibus sex, orum narcissi pseudonarcissi p. 25 radicis hyosciami ›. 28. Olei olivarum partibus çentum, per 14. dies nfusis.

SECTIO SECUNDA.

De Viribus Rhois medicis.

§. 1.

Circa *Rhois* virtutes medicas, primus pericula instituit *Andreas Dufresnoy*, perpetuoque felici successu. Eum *Belgicorum* atque *Anglorum* celeberrimi Medici secuti sunt, salutarem effectum saepissime observantes. — Inter Germanorum artis professores, pauci, uti videtur, hoc medicamine utebantur, quippe non multa experimenta in publicum miserunt. Horum, igitur, auctorum observationes, paucis verbis referre haud abs re esse judicamus; quibus praemissis, ea enarrabimus experimenta, quae *Instituto policlinico Berolinensi*, sub moderamine summe *venerandi praeceptoris mei*, *perillustris* HUFELAHDII, instituta sunt atque nondum in lucem missa.

§. 2.

Rhois radicantis vim medicatricem contra herpetem, casu quodam fortuito expertus est *Dufresnoy*, cum in homine, a contactu foliorum *Rhois*, impetigine afflicto, simul cum hac impetigine, herpetem, quo laborabat, disparuisse observasset. Hac experientia motus, *Rhoa*, contra tales morbos cutaneos, interne adhibuit et maximo quidem successu; item in aegritudines, ex herpete suppresso natas, hoc medicamen periclitatus est; hac igitur via, ejusdem plantae efficaciam contra paralysin, primus invenit atque conprobavit.

Saluberrimum contra herpetes effectum, *ill. Dufresnoy*, sex casibus diligenter observatis expertus est. Pertinacissimos enim herpetes, qui humorum dyscrasiae innitebantur, extracti *Rhois*, vel infusi foliorum aut aquae destillatae ope sanavit, ac quidem per longum temporis spatium, aegris, variae aetatis ac utriusque sexus, haec remedia adhibuit. Harum observationum duae saltem, memoratu dignissimae sunt, quarum altera, herpetem totius corporis sistit, aquae *Rhois* destillatae unciis quatuor, quater de die sumtis, interpositis decem mensibus, perfecte expulsum; altera similem herpetem, ex suppressis catameniis ortum, spectat, quem, postquam per quatuor annos duraverat pari dosi aquae *Rhois*, intra quatuor menses sanavit. — In morbis metastaticis quoque, ex herpete suppresso

natis, tussim puta et haemoptysin, Rhois salutares effectus vidisse legimus.

Rumpel 1) *Dufresnoyi*, observata propriis fuis experimentis testatur.

Idem *Mathaei* affirmat qui grana centum quotidie adhibuit. — *Willemet* casus duos enarrat herpetis et paralysis a D. *Maugrat* (nosocomii Nanceiensis Medico) sanatorum.

§. 3.

Contra *Paralyses extremitatum*, praecipue cum spasmi practereant aut simul adsint, *Rhoi radicanti* magnas virtutes *Dufresnoy* attribuit. Casus viginti quatuor refert in quibus, etsi variae adessent paralyseos formae, maximo tamen cum successu *Rhoe radicante* usus est. Medicaminis effectus saluberrimos jam primis diebus vidit, ac intra duos ad quinque menses, omnem fere sanationem perfecit. Inter hos casus nulli exstant, ubi medicamen, omni effectu caruisset; quod vix credibile est et maxime ab illis differt quae Medici Germanici observaverunt. — Morborum descriptiones uberrimae in *Dufresnoyi* Dissertatione valde desiderantur, quippe breviori expositione solummodo statum morbi et quae illi praecederant conscripsit. Interdum addere liceat, Eum,

---

1) Professor Chemiae et Botanicae Bruxellensis vide *Dufresnoy* l. c. p. 19.

extracti *Rhois* ope, paralyses quasdam, quae per duos immo novem annos duraverant, sanasse; ceterum, solum *Rhois* extractum, nullo alio remedio simul in usum vocato, adhibuisse videtur, quod tamen, me judice, strictius indicare debuerit. —

Quantum autem experimentis ejus judicare licet, *Rhoa* utilem esse censemus, in eas paralyses, quae caussis procatarcticis nituntur, longe jam remotis et quibus malum mere nervosum subest. — Quamvis vero, Dufresnoyi experientia edoceamur, *Rhois* virtutem antiparalyticam, paralysi duntaxat extremitatum inferiorum accommodatam esse, ab eo tamen recedam, ut contenderim, *Rhoi* non minus aliquid esse tribuendum laudabilis, in paralyticas extremitatum superiorum affectiones, adeo ut quaevis pars resoluta *Rhois* auxilio restituenda esset; *Dufresnoy* enim, sat notam experientiam praeteriisse videtur, extremitatis inferioris paralyses facilius quam aliarum partium sanari posse. — Superest ut indicamus, stomachi reliquorumque organorum, concoctioni inservientium, imbecellitatem, item spasticas corporis affectiones uti et proclivitatem ad haemorrhagias, hujus medicaminis usum non vetare, immo spasmos inde mitigari.

§. 4.

Aldersonius, experimentis *Dufresnoyi* ductus, in peculiari ac perdocto libello [2]) ea commemorat, quae circa casus morborum viginti, observavit. Is, *Rhoa* pulveratum administravit in varias paralyses partium internarum externarumve inque Choream, Sti Vitii. Curationis principio, parvas tantum doses gr. quadrantem ad gr. unum, ter quotidie sumi jussit, sensimque ad gr. XXX auxit. Auctoritatem aliorum medicorum, quibus ad gr. centum et centum et sexaginta placuit ascendere et quorum in laudato libello mentionem facit, non est secutus. — Quum scrutinio subtiliori medicaminis effectus submiserit, ea, quae ex inde patent, brevius transscribimus. Aegri plerumque, interpositis jam primis diebus, in partibus affectis, dolorem punctorium saepius redeuntem, nec non calorem naturalem auctum percipiebant, ac nonnisi membrorum movendorum facultatem adipiscebantur, donec leves motus spastici accessissent. Id, casu quodam insigni, extra omnem dubitationis aleam posuit. Homo nimirum, variis artubus resolutis laborabat, et in his partibus nonnisi motus voluntarius coepit redire, in quibus, talis spasticus insultus primum apparebat, quemque, singulis musculis postea ab eo infestis, malum profligasse legimus. — Medicamini, vim leniter

---

2) Versuch über das Rhus Toxicodendron etc. von John Alderson, aus dem Engl. von Froriep. Jena 1799.

peritivam tonicam, stomachicam et obstructiones viscerum solvendi, adscribit. Attamen vertiginem, cephalalgiam et nauseam cieri a largiori dosi (ad gr. XII e die) vidit. Interea et aliud exemplum adducit, ubi femina, hemiplegia inflicta, postquam a parva dosi gr. X) *Rhois* subito ad majorem, (gr. XXX) adscenderat, doloribus spasticis extremitatis resolutae ac jusdem inflammatione et tumore perturbata est. —

Non possum vero non, in hujus observatoris sagacissimi laudes, id quoque testari, eum, accuratiori expositione, morborum casus, qui paralyses plerumque extremitatum spectant, illisque, a *Dufresnoyo* prolatis, persimiles sunt, dilucidasse. — Paralyseos exempla tria habet *Aldersonius*, memoratu omnino dignissima; paralyses nempe extremitatum, simul cum paralysi partiali cerebri, i. e. summa animi cogitantis imbecillitate, ac memoriae deperditione nuptas, Rhois pe curationi subjecit ac quidem haud infausto eventu; binos enim horum aegrorum restituit, alium ad sanandum perduxit.

§. 6.

Audiamus nunc instituta ea quae *Medici - Belgici* exhibuere:

Rumpel [3]) (prof. Bruxell.) virtutes Rhois in paralysi, tantis laudibus extollit ut *donum divinum* appellaret.

---

3) Vide Dufresnoy l. c. p. 76.

Kok [4]) (prof. universit. Loewens.) casus binos nobiscum communicavit, in quibus Rhus, efficacissimum sese ostenderat. Foemina scilicet, paralysi, post febrem derelicta, per decem annos laboravit; demum praeterlapso semestre, extracti Rhois gr. triginta ter de die sumtis, perfecte sanata est. — Aegrota alia annorum triginta, constitutione corporis imbecilla atque phlegmatica, a febre intermittente imperfecta paralysi derelicta perturbata est, quae, medicaminibus per quinque annos incassum adhibitis, demum Etracti Rhois auxilio, spatio trium mensium, (dosi a Gr. XX ad Dr. duas ter quotidie aucta) nullis mali vestigiis remanentibus sanitati restituta est. — Is ab hoc remedio, salubres effectus tum vidit, cum calor animalis in partes resolutas redierit, tensio musculorum sese relaxaverit et spastici denique motus remiserint.

Verdeyen [5]) Medicus Bruxellensis, praeclare exemplum in medium profert paralyseos extremitatum inferior. per XXII annos omni medicorum tentamini obsistentis, extracti Rhois ope perfecte sanatae; ac in eo praeprimis hujus medicaminis praestantia cernebatur ut resolutas partes, quibus tantum abfuit ut gubernari

---

4) Vide Dufresnoy p. 79. et: Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte. Leipzig 1796. vol. 17. p. 254. ff. Verhandelingen etc. tc. Haarlem Deel. XXVIII. St. 2. p. 167. 1792.

5) Vide van Mons l. c. p. 222.

rnari non potuerint, ut potius cauteriis potentialibus actualibus nullo visibili sensibilique modo afficiene fuerint, in statum sanum reduxerit.

Van Baerlem [6]) paralysin duntaxat incompletam periclitandum elegit: virgo annorum viginti non, quae pluries jam patiebatur haemoptysin cui ia viscerum abdominalium et dyspepsia accedebant, alysi demum incompleta extremitatum inferiorum repta est, adeo, ut cum sederet crura omnino ree posset, surgendi tamen ac ambulandi potestate ne destituta esset. Principio, visceralibus hunc rbum curavit, quibus mox *Rhois* extracti usum stituit; id tremulationem totius corporis et motus sticos partium affectarum effecit, quo facto paralyex toto evanescit.

Van Mons [7]) Paralysin completam atrocissimam, e moxae et vesicantium applicatione parum utilis ceperat, intra sex hebdomades ope extracti Rhois Dr. tres p. d.) ita sanavit, ut sexto jam post mediinis applicationem die, partibus affectis sensibiliredierit. — In alio quodam casu, quem per octo os integros nullo remedio superare potuerant me-, jam motus voluntarius pedum rediit, sumtis exti *Rhois* Dr. IX refractis dosibus propinatis. — eleberrimus auctor hoc remedium eum nunquam

---

6) Vide Dufresnoy l. c. p. 91.

7) ibid. l. c. p. 77.

fefellisse asseruit; de cujus efficacia, in extremitatum paralyses vitio organico plane carentes, (paralysies nerveuses) novissimis quoque temporibus certior factu est [8]).

Horsfield [9]) in dissertatione peculiari [10]) extractum aquosum *Rhois radicantis* veluti remedium incitans atque diureticum, summopere laudat, item foliorum applicationem externam, quam impetiginem sui generis ciere scimus, in melancholia Phthisi e aliis morbis chronicis, valde commendat [11]).

§. 7.

Audiendi nunc sunt *Germanorum Medici* experientissimi qui circa *Rhois* efficientiam in Medicin pericula instituere.

Inter hos primus excellit *D. Zadig*, Wratisla viensis, medicus non fucatae experientiae, qui laudato Rhois effectus non perspexit [12]). — Puellae annorum decem, paralysi extremitatum, juncta cum animi cogitantis fatuitate ac urinarum missione et alvi flux

---

8) Vide Nasse l. c. Vorrede p. VII.

9) Vide Sprengels kritische Uebersicht p. 416.

10) Experimental dissertation on the Rhus vernix, radicans and glabrum. Philadelphia 1798.

11) Vide Burdach l. c.

12) Vide *Hufeland's* Journal der praktischen Heilkun B. IV. St. 3. (neue Aufl. 1805. S. 187. 194.

nvoluntariis, vexatae, medicinam fecit; tentatis variis xcitantibus et nervinis, interne externeque apposite atis, nulloque ab iis percepto fructu, folia *Rhois ra-icantis* in forma pulveris adscendendo a gr. dimidio d gr. XV. dedit; quo magis autem utilitatis aliquid b hac medendi ratione percepisse videbatur, quippe rinas alvumque diutius [retinere poterat, eo magis b altera parte malum in pejus ruebat, sequebatur imirum lassitudo totius corporis insuperabilis. — lius morborum casus cum *Rhoe Toxicodendro* pe-iclitandi ansam praebuit. Juvenis, musculis exten-oribus manus dextrae resolutis afflictus, ab ejusmodi emedii parvula dosi, grano cogita unico, paucis jam ost adhibitionem diebus, effectus teteros sentiit; ver-igine enim, sensuum internorum externorumque isturbatione ac totius corporis debilitate torquebatur eger, id quod medicum deterruit quin methodo, dis-riminis plenae, proterve diuque inhaeserit.

Ill. Nasse medicinalem *Rhois* effectum fere unquam vidisse ingenue profitetur; etenim, praeter ensum formicationis in partibus affectis, visibile quid erperam quaesivit [13]).

Ei adnuit *celeberrimus* REIL [14]); is pulveris fo-iorum *Rhois* gr. XX. p. d. propinavit, status tamen norbosus haud valde in melius versus est.

---

13) l. c. prafat p. VI. sq.

14) Fieberlehre III. p. 620.

Observationibus his modo allatis Rhoa parvi aestimantibus, alius medicorum et magni nominis quidem, *ill.* HORN arridet, quique non solum scriptis hanc sententiam mandavit [15]) verum, etiam privato colloquio eam mecum benigniter communicavit. — *Perill. Himly* [16]) pluries efficaciam hujus medicaminis tentavit et nunquam, vel maximis quidem dosibus, ullam corporis mutationem prodire observavit nec vertiginem ac nauseam inde exoriri vidit.

Sed contrariam opinionem, *Rhoa* magni aestimantem fovet *ill. Augustin* [17]). Is enim in casu quodam paralysis nervosae Rhois summam virtutem monstravit: Homo annorum quinquaginta corporis valetudine fortunata gaudens, paraplegia pedum mere nervosa disturbatus est. Sueta remedia nervina ac incitantia, sedulo ac attenter nec non largiori manu data, nullam effecere mali mutationem, quare in tali desperata caussa *Rhois Toxicod. Extr.* forma pilulari, immixtis pulver. Cascarillae, pulver. aromatico, ph. Boruss. et pipere hispanico, ad grana duo quotidie sumi jussit, imperatis simul unctionibus illis ex linim. volatili, Camphora et Ol. Menth. crisp. quibus antea perperam utebatur aeger. Mutata ejusmodi curationis

---

15) Vide Hartenkeil medizin. chirurg. Zeitung 1801. I. p. 104.

16) Vide Heusinger d. c. p. 35.

17) Vide Ασκληπιειον allgem. mediz. chirurg. Wochenbl. No. 13. Berlin d. 13. Febr. 1811.

atio solamen malorum citius attulit, ita ut, restauratus aeger, baculo innixus jamjam ingredi potuerit, atque in diem ad sanitatem properaverit. — Recensione huic *Augustini* observationi quaedam liceat addere verba. Omnis cujuscunqe remedii laudabilis natura versatur eo, ut, quod si indubitata qualiscunque fides attribuatur, purum nullisque adjutoriis junctum ntari opporteat; quod cum fieri neglexerit *Augustin* usdem observationem mancam esse ac imperfectam eminem fugit.

§. 8.

Exponenda nunc est illa observationum copia am, uti supra indixi, sub moderamine et tutela. *iri summe perspicui ac Germanorum Medicorum fa-le principis*, in instituto policlinico Universitatis Berlinensis collegi. —

I. Sutor quidam annorum quinquaginta, habitu ethorico atque nullis aegritudinibus antea vexatus, miplegiam dextri lateris, prodromis sanguinis vers superiora effervesentis praegressis, passus est. Aer in natura medicatrici ac inprimis in arcanis quisdam ab imperitis ei commendatis, omnem restitus spem habebat; quum vero nonnisi interposito nestre eam fallere intellexerit: paralysis enim linam quoque affligere, loquelam impedire, et nutritiom partium resolutarum prohibere visa sit, ad moum confugit. Medicamina interna ac unctiones

oleosae parum profuere; qua de re consiliante medico thermas Toeplitzenses petiit, ac ex eorum usu auxilium quoddam se percepisse asseruit. Attamen non tanta fuit mali sublevatio, quin aeger artus omnino, maxime autem crus dextrum voluntario modo regere potuisset.

Die X. Novembris, praeterlapso fere quadriennio ab ipsius morbi initio, Instituti nostri policlinici curae sese tradidit. Constitutio corporis generatim pervalida atque concoctio bona adfuerunt, extremitates tamen dextri lateris tanta labe afflictae fuerunt ut absque baculo pedem figere atque brachium manibus non sustentatum gubernare haud potuerit, ceterum pulsus regularis ac aequalis fuit; calor animalis membrorum paralyticorum non defecit, perspiratio tamen cutis suppressa fuit. — — Commendavimus Camphoram pro usu interno, nec non unctiones ex oleo Petrae cum Camphora. His remediis justa dosi ac apta applicatione per sex hebdomades, nulla relevatione visibili propinatis, Rhoa Toxicodendron ipsum, nullis aliis adjutoriis in medium convocatis, sepositis quoque perfrictionibus, usui interno destinavimus. Incipiebatur a grano unico pulveris foliorum siccatorum Toxicod cum scrupulo dimid. rad. Liquirit. pulv. ter quotidie sumendo. Postquam vero eo usque perventum erat ut aegro absque incommodo Toxicodendri scrupulum integrum de die, refractis quidem dosibus, devorar licuisset, id quod interpositis quinque hebdomadibu

...dimus: membrorum resolutorum confortatio omni-o in conspectu fuit; tremor nimirum brachii atque ...uris vaccillatio in dies minuebantur, ita ut aegrotus ...tuum usu cum securitate fungeretur. Sed augenda ...at medicaminis dosis; quod cum fieri largiori manu, ...omachus imbecillus impediret, compositioni, qua huc ...que utebamur, corticis Cinnamomi pauxillum addi-...mus ac in quotidianum usum Toxicodendri drach-...am unam sumi imperavimus. Quum igitur is sit ...urationis felix successus, ut tutus aeger ambulando ...oificioque suo perfungendo aliorum auxiliis non indi-...eat non desperamus, fore ut, in continuanda hac ...edendi methodo, sanitas perfecta attingatur. —

Ut veritati concedamus profitendum est magnam ...bi lauream arripuisse *praeclariss.* FLEMMINGIUM, ...stituti nostri *Ophthalmiatrum* experientissimum, ...tentissima *Rhois* applicatione in morbos oculorum, ...ujus omnino laudabilis mentio jure facienda nunc ...st. Hujus enim magistri sagaciori studio et arte fa-...tum est, ut obcoecatorum hominum non pauci ocu-...orum aciem adepti sint.

II. Virgo quaedam annor: viginti quatuor, con-...titutione corporis validissima ac habitu vere pletho-...ico, Amaurosi utriusque oculi obcoecabatur. Nullis ...n ...orborum turbis quae infantilem, vel pubertasis aeta-...em invadere solent, aegra premebatur; attamen, quo-...niam adulta perpetuis illis operibus inhaerere cogeba-...ur, quibus vita sedentaria, otiosa imi ventris viscera

ac immodica oculorum defatigatio determinantur, qualia sunt negotia mulierum quae acu pingunt suuntque in media nocte: non potuit non oculorum acies minui, imo postea cum a suetis operibus non remitteret, ex toto obscurari. Sed huic malo, aliud, non minus grave accedebat. Evenit enim, ut in catameniali quodam periodo, quum sanguifluxus immodicus proruperit, eundem coërceri aegra duxerit: id quod facili negotio pediluvio frigido atque pudendarum lavatione frigida absolutum esse, audivimus. Ejusmodi vero inepti consilii systematis sanguiferi perturbatio, insignis pedissequa fuit; cephalalgia vehemens, aurium tinnitus, corporis, maxime autem extremitatum inferiorum lassitudo, somnolentia gravis, somnusque inquietus phantasmatibus perturbatus, pessimi eventus indicia exhibuere, obcoecataque puella vitam miserrimam degit. Tentavere aegrotae nostrae parentes varia remedia domestica et arcana; at non brevi tempore inania fere esse haec tentamina didicerunt. — Scholam policlinicam aegra adiit *die VII. Februarii* curationem tanti mali petens. Amaurotica oculos tanquam tenebricosos, vivido splendore orbatos, habebat; pupillae *nimis contractae* atque parum sensibiles erant; de reliquo, praeter orgasmum sanguinis versus superiora turgescentem, ac inde pendentia sanguinis circuitus mala supra descripta, concoctio erat bona et naturalis. Principium curationis fecimus sanguinis detractione per venas pedum aliquoties repetita; cujus

ffectus sedatio systematis sanguiferi fuit; cetera tamen remanebant, qualia antea fuerant. *Aetherem uercurialem* qua emmenagogum, et ad amaurosin uoque evertendam aptum remedium, interne dedinns. Brevi tempore catamenia quidem normali modo restituta sunt, amaurosis tamen immutata remansit. Idcirco Belladonnam cum camphora interne ari praescripsimus, atque vesicatoria perpetua orbitis applicanda adhibuimus; qua methodo nullius effectus isa, externe unctiones ex Balsamo vitae Hoffmanni, aporum quoque Liquoris ammonii caustici applicaonem jussimus, ab interno tamen nominatorum remediorum usu non recedimus, verum in majori et naxima dosi ea dedimus.

Die XII. Maji ab hac medendi norma quae inutis omnino sese ostendebat revertimur ac aliam subituimus. Tincturam Rhois Toxic. guttam unam bis e die sumendam imperavimus, quae dosis postea ad tt. X. ac demum ad XXV. aucta est.

Die XVI. Junii oculi dextri visendi vim corroboatam invenimus paremque ameliorationem d. XXV. ulii in oculo sinistro observavimus. Sic vero *Rhois* elficissimus effectus paulatim et veluti in diem, aueri videbatur, ita ut, postquam aegra per quatuor enses hoc remedio uteretur, perfecte sanata esset et on solum visus facultatem recuperaret, verum etiam culorum acies illi tam firmata esset ut negotiis, sue-

tis perfungi posse contenderet; attamen ut per aliquod tempus oculis parceret, strictis verbis exoptavimus.

III. Foemina annorum 46. amaurosi utriusque oculi incipiente laborabat, simulque aderant ulcera syphilitica in pudendis, scabies syphilitica per omne corpus late diffusa; passionibus hystericis torquebatur atque utero foetum septimestrem gerebat. — Quum vero, remediorum antisyphiliticorum, quorum praestantissima mercurialia habentur, usum, graviditas prohiberet, id malum quamvis inviti reliquimus, eique saltem inhaesimus methodo, qua amaurosi obviam iri foret. Itaque Belladonnam cum Camphora usui interno commendavimus; horum autem remediorum attentissimo et aptissimo usu malum neutiquam debellare potuimus, quamvis narcoticam efficaciam Belladonnae singularem observaremus, verum pessimam naturam induit, ita ut brevi intervallo amaurosin completam mentiretur. Quominus autem studium et operam inutiliter consumeremus, ad aliud remediorum genus transivimus. Tinctura Rhois Tox. data est, dosibus sensim ad gtt. LX. ter quotidie auctis. Inde, jam post XX. dies, oculo sinistro lucis clarioris apparitionem sentire, aegra dicebat, quod phaenomenon etiam ante oculum dextrum paucis diebus post apparuit; sic in dies oculi sinistri acies restituebatur ut paene ad statum normalem redierit. Sed dolendum est, istum felicem successum per exiguum duntaxat tempus durasse; etenim malum ocius in pejus rue-

bat. Hujus vero status permutati causa in eo quaerenda est, quod lues venerea, a nova forte infectione, cui maritus aegrotantis nostrae ansam praebuit, concitata, iterum exasperavit.

IV. Homo annorum XXVI. Amblyopia diuturna laborabat, quae ex nimia oculorum defatigatione nata videbatur; Belladonnam cum Camphora justa dosi et constitutioni aegrotantis adaptata dari, nec non perpetuum vesicatorium orbitis superimponendum jussimus; ex quo remediorum usu Iridis mobilitas quaedam rediit hebetataque videndi facultas in melius verti visa est. Quum autem, per sat longum tempus, horum medicaminum ope visus aciem non augeri comprehenderem *Toxic. Tincturam* notis dosibus, adscendendo sensim ad guttas viginti quater de die, dedimus, neque effectum quemlibet perperam spectavimus. Etenim ex quo doloris sensum in oculo sentire ducebat aeger, oculorum rigor ac claritas naturalis revertit.

V. Foemina quaedam annos nata 46. habitu rheumatico-arthritico, ulceribus syphiliticis, ab infectione fortis, perquam cruciata, amaurosi legitima utriusque oculi, postquam refrigerio quondam sese exposuerat, infestata est. Consultum fuit, methodum antiveneriam specificam cum illa unire, quam atroci huic oculorum malo, experientia ducti, accommodare solemus. Quare *Aetherem mercurialem*, justa dosi una cum pulveribus e *Camphora* et *extracto Belladonnae*

dari decrevimus; quae quidem remedia nullum alium effectum manifestavere, nisi quod aegra, fulgoris speciem, oculum sinistrum perpetuo obvolitari diceret. Quum vero nonnisi tardius omnem curam progredi, vidissemus, ad Tinct. Toxic. usum internum confugimus. Paulo post, oculo sinistro claritas major rediit, quae sensim aucta est ita ut intra duos menses vix perfecte oculorum usum recuperaverit aegra; remanenti tamen hebetudine oculi dextri atque, viro syphilitico nondum extincto, quippe pluries de novo infectione pessumdata est misera, ulceribus foedis nequaquam sanatis.

VI. Homo annos agens 47. constitutione valida atque plethorica fruens, myops, quique jam in tenera sua aetate variis oculorum affectionibus laboraverat, amaurosi incipiente utriusque oculi correptus est, cujus mali causa occasionalis, non solum in eo esse crediderim, quod aeger sudoribus quondam madefactus subito in fluvium sese immerserat, enim vero pessimi aliquid aliud, causam praebuit; aeger nimirum hamatili piscatui ex animo deditus, sub sole ut plurimum ad aquas consedebat, ita vero lucis ex aquarum superficie refractio, non potuit non, oculis quam maxime infesta esse. — Visu ex toto fere orbatus erat, pupilla, non naturali contractione destituta lentius tantum a lucis influxu irritabatur. Huic diro malo hypochondria saeva accedebat, quippe summa inopia ac domesticis oneribus multivariis obrutus erat. — Prin-

pium curationis malo ophthalmico praeprimis ob-
iam ire duximus atque Camphor. non parva dosi
lhibuimus nec non vesicantia perpetua orbitis appli-
avimus. Horum medicaminum usu, brevi tempore
olorem punctorium in oculis sentire dicebat aeger,
dendique facultas sensim redire videbatur. Quum
atem per duos menses remedia ista data essent nec
uram citius progredientem vidissemus, Camphorae
ua diaphoresis nimis augebatur, *Tincturam Toxicod.*
ubstituendam decrevimus; cujus ope, cum per sat
ngum tempus eam sumeret aeger, (ad gtt. XL. p. d.)
culorum aciem tali modo recuperavit, ut suetis ope-
bus fungi posset.

VII. Juvenis annorum XVIII, cataracta pellucida
ntis et capsulari oculi dextri, uti et amblyopia oculi
nistri laborabat; quarum causam occasionalem oph-
almia peracuta et phlegmonoides, praebebat. Initio
mphoram meram adhibuimus, quae saepissime in
manda amblyopia, imo ipsa amaurosi praestantissima
mperiebatur, hic tamen nullum salutarem effectum
seruit. Huic morbo itaque usum foliorum *Rhois*
lver. opponendum statuimus; incipiebatur a grano
nico bis quodidie, donec grana tria, ter de die repe-
a, aeger devorari potuit.

Cujusmodi tentaminis successus stupendo in mo-
faustus percipiebatur; quippe oculi sinistri aciem
n modo confortari, verum etiam visus claritatem
em fuisse adeptam, quali nunquam antea fruitus

erat, noster asseruit. Doloris urentis sensus in internis oculi partibus unicum duntaxat hujus medicaminis incommodum fuit, de quo aeger querebatur.

§. 9.

Raro tantum, sicuti videmus, medici *Rhoa Tox.* in Medicina adhibuerunt; dubia itaque nonnisi ac incerta manere debent ea, quae forte aliquis de natura medicatrice hujus plantae statuerit; cujusvis enim medicaminis natura atque indoles, non nisi multis ac iteratis experimentis et longo usu, declarari potest. Etsi tamen hanc disquisitionem super *Rhoa* omnibus numeris nondum absolutum esse, ingenue profiteamur, ea saltem, quae quantacunque ex observationibus pro tempore institutis, de *Rhois* natura sequi videntur, paucis verbis dilucidamus.

Effectus Rhois externe applicati, satis superque demonstrant: hanc plantam, non ad alium medicaminum ordinem referri posse, quam ad remedia acria ex ea nimirum ratione, quod, veluti acrium complurima, cutem affligat et exanthema pruriens efficiat. Ex ista autem *Rhois* efficacia, haud magnam utilitatem in Medicina derivari posse videtur, ni forte exanthematis eruptionem, per totam corporis superficiem sparsam, ac insigni pruritu irritationem maximam omnis organismi efficientem (e. g. in morbis chronicis cum torpore) ciere velimus. Hanc *Rhois* virtutem *Horsfieldii* observatum fovere videtur [18]).

---

18) Vide supra §. 6. ad fin.

Quodsi ad ea nos advertamus, quae super *Rhois* *usum internum* retulimus, certum constare videtur, hoc medicamen, vim peculiarem in systema nervorum, nec solum in medullam spinalem (uti *Augustinio* placet [19]) verum etiam in cerebrum ipsum, exercere. Isti autem effectus quales quantique sint, an narcoticorum virtutibus similes an ab illis plane alieni, hactenus determinari nequit, sic iisdem tenebris latet, anne *Rhus* maximis dosibus, tam violenter organismum afficere possit, ut mors inde sequatur. Sed ab altera parte, *Rhois* applicatione digestionis organa non male affici, imo quidem corroborari experientia probat. Simili etiam via edocemur, hanc medelam in vasa sanguifera nullum visibilem effectum producere. — Quae tamen therapeuticae indicationes, in morbis variis, his observatis superstructae essent, aliorum indagationi derelinquo. Liceat tamen rem memoratu dignissimam brevius attingere. Varietatem nempe illam, quae inter observata autorum de Rhois effectibus in corpus humanum intercedit, specto, quamque a multivariis circumstantiis pendere, aio. Primum enim, et gravissimum hujusce differentiae momentum, ex idiosyncrasia hominum individuali derivandum est. Attamen nullus negabit, in ipsius plantae qualitatibus occultis, causale quid latere. Rhois nempe vires, principiis valde volatilibus, quaeque levissi-

---

19) Vide l. c. Asclaepieeion.

mis caussis externis, tali modo mutari possunt, ut organismum omnino aliter afficiant, contineri, persuasum habeo. Itaque magna illius varietatis pars, pharmaceutico praeparandi modo tribuenda est; nondum enim illa norma firmata est, qua folia *Rhois* legenda, qua siccanda, qua varia pharmaceutica praeparata tractanda sint; quae vero omnia, haud recte instituta, sat diversum et alienatum medicamen perhibere posse nemo in dubium vocabit. Superest ut moneamus, formam extracti *Rhois*, ex his quae proposuimus et quantum experientia docuit, naturae hujus medicaminis minime idoneam esse; ejusdem Tincturam vero, quae sine dubio, omnia quae in Rhoe efficacia insunt continet, optimam esse censemus.

T H E S E S.

I.

Omnis sanatio, ab ipso Organismo perficitur.

II.

Quisque morbus, non solum dynamicus est, verum etiam materialis.

III.

Existit cura prophylactica.

IV.

Omnia, quae Organismum aliquo modo afficiunt, etiam remedia fieri possunt.

V.

Nutrimenta et medicamina, medicamina et venena, non absolute, sed relative tantum inter se differunt.

VI.

Omnia remedia sunt specifica.

VII.

Effectus medicaminum, singulis elementis chemicis determinari nequit; is enim a specifica partium constituentium reunione pendet. Divisionem ergo medicaminum, secundum elementa chemica, vitiosam esse contendimus.

1(2)